

## L I T V A N I A.

ciorumque , eum judicet & puniat , rebellem  
vero Campiductori indicet.

X L V Quod si aliquis commilitonum , so-  
ciorumve , sive ipse locum-tenens , articulos su-  
prascriptos , honoris & capit is pœna præmuni-  
tos , juste & legitime non obser vaverit , eum  
Rotmagister suis Campiductori sub fidejussio-  
ne & nobilitatis honore ordinate transmittat.

*Divisio Li-  
tuaniae.*

Lituaniæ magnus Ducatus nunc in decem  
Palatinatus , seu provincias præcipuas est divisus ,  
quarum metropolis & caput hoc tempore est  
*Vilna*, sedes Palatini inter Lituanos primi. Secun-  
dus Palatinatus est *Trocensis*, cuius oppida sunt ,  
*Grodna* ad Cronium fluvium , ubi Stephanus rex  
Poloniæ obiit. *Lavna* ad Croni & *Vilia* conflu-  
entes, *Kovno*, *Lida* & *Vpita*. Tertius Palatinatus  
est *Minsensis*. Ibi *Minsko* civitas & arx *Keidanow*,  
*Radoskowice*, *Borissow*, *Lohoiško*, *Swisłocz*, *Bobrojsko*, &  
*Odruczko*. Quartus Palatinatus est *Novogroden-*  
*fis* , in quo *Novogrodeck* , civitas ampla & lignea,  
*Slonim*, *Wolkovysko*, *Mscibow*, & alia oppida com-  
plura. Quintus Palatinatus est *Brestiensis* , à  
Brestia civitate ampla & lignea sic denomina-  
tus , & in hoc civitas est *Pinjsko*. Sextus Palatinatus  
est *Volhiniæ*, in qua *Iuczko* Episcopis edes, *Vo-*  
*lodomiria*, *Krzemenechia*. Septimus Palatinatus est  
*Kioviae*, quæ urbs quondam amplissima & vetu-  
stissima , ut ruinæ , quæ ad sex millaria se exten-  
dunt , facile indicant , fuit ad Borysthenem sita.  
Ibi sunt *Circass*, *Kaniow*, & *Moses* oppida. Octavus  
Palatinatus est *Mieciſlavienſis* ad *Bosam* & *Bory-*  
*sthenem* in finibus *Moscoviæ*. Ibi *Mieciſlavia*,  
*Dambrowna*, *Cobysk*, *Sklow* Comitatus, *Mohilow*,  
*Bychow*, *Reczycza*, *Strijsin* oppida cum arcibus sita  
sunt. Nonus Palatinatus est *Vitebscienſis* , in quo  
*Vitebsk* civitas ad Dunam fluvium sita , & *Orscha*,  
ad *Borysthenem*. Decimus Palatinatus est *Po-*  
*locensis* , qui à *Polocxko* , ad *Polotæ* & *Dunæ*  
confluentes inter *Vitebscam* & *Livoniam* in-  
terjecta nomen sortitur. Ibi *Djina*, *Drissa*, & *Dru-*  
*ha* oppida cum arcibus visuntur.

*Vilna Me-*  
*tropolis de-*  
*scriptio.*

Inter omnes urbes excellit Vilna , civitas  
admodum populosa & ampla , Episcopatu insignis. Indigenis *Vilenzki*, Germanis autem vulgo  
die *Wilde*/ nomen hoc sortita à flumine præter-  
labente, ejusdem appellationis , quod in Litu-  
ania ortum Niemen fluvio conjunctum Mari  
Prutenico miscetur. Muro cincta est , & portis  
quæ nunquam clauduntur. Domus in universum  
sunt lignæ , depresso , ac humiles , nec cubili-  
bus , nec coquinis , imo nec stabulis , licet jumenta  
& bestias complures alant , distinctæ , nec opti-  
mo etiam delectu collocatae , certis quibusdam  
plateis exceptis , in quibus ab exteris nationi-  
bus , quæ commerciorum gratia hanc urbem  
frequentant , lapidea & elegantes constructæ  
sunt ædes , quibus Germanorum & Palatii vicus  
condecorantur. Regium est Vilnae palatum,

alterum , admodum amplum , plana cœnaculo-  
rum structura celebre: alterum turribus in mon-  
te conspicuum , ad radices armamentarium ha-  
bens , in quo machinæ bellicæ omnis generis  
non paucæ videntur , cum tamen in universa pas-  
sim Lituania , nulla ullius metalli sectura , vena-  
ve reperiatur. Templa pleraque lapidea sunt ,  
quædam etiam lignea. Diversis namque diversa-  
rum religionum cultoribus sectæ suæ exercitium  
permittitur. Elegans est Bernardinorum cœno-  
bium , secto ex lapide , venusta structura clarum .  
Quemadmodum & Rutenorum aula , in qua ip-  
si merces suas , ex Moscovia allatas , distrahunt ,  
utpote luporum , vulpium , maxime albarum ,  
martrum , zabelarum , hermilinorum , leopar-  
dorum & nobilissimas id genus alias pelles. Fones  
diversis in plateis habent , ad publicos oppi-  
danorum usus varios , omnes tamen eodem ex  
capite , juxta Germanorum portam constituto ,  
derivatos. Suburbia non sunt , quemadmodum in  
urbibus bene constitutis , varia , diversis discreta  
nominibus , sed uno & perpetuo quodam suburbio  
septa & circumvallata Vilna conspicitur , ubi  
infinitus ædicularum numerus , nullo delectu ,  
nullo platearum ordine , sed pro agresti barba-  
rorum voluntate , prout fors & occasio tulit , qua-  
si confitus videtur. Alibi namque casas hasce  
suas , ex pinorum aliquot trabibus , rudi structura  
compactas , huc deferunt , & quo libuerit , indis-  
criminatim collocant. Extra portam , quæ re-  
giam respicit arcem , dimidiato à Vilna milliari ,  
Sigismundus Rex domum , regiam illam quidē ,  
sed totam ligneam , ab urbanis curis recessui  
construxit , cum nemusculo & vivario , in quo  
omnis generis feræ sumtu permagno aluntur ;  
vulgo *Wersupa* , id est , juxta aquas , quibus vicina  
est , dicitur. Vilnensis porro populus , & quot-  
quot itidem suburbanas incolunt casas , agrestes  
sunt , servilisq; ingenii , artibus plane nullis aut li-  
beralibus disciplinis culti , nec iisdem dediti , iner-  
tes , desides ac ignavi , libertate nulla fruuntur ,  
sed servi sunt , & mancipiorum instar à nobilitate  
habentur , quo etiam ipsi genere vitæ delectari  
videntur. Dominos namque suos , tum pri-  
mum amant , ipsisque multo fidelius & promtius  
obsequia præstant , si verbis verberibusque im-  
mitius tractentur. Ita ut heros suos , à quibus non  
egregie vapulant , tanquam eos , qui moribus ip-  
sos bonis non imbuant , deserant. Vino licet ca-  
reant , poculis tamen indulgent , & genio. Medo  
ipsis & cerevisia potus est , frequens vini adu-  
sti , cepè & allii usus , in domibus suis perpetuo fu-  
mo oppletis , (non enim ulla fumabula habent)  
qui videndi ipsis acie adimit , ut non alibi plures ,  
quam in hac urbe cæci sint homines. Nullus in  
ædibus ipsorum ornatus , nec pretiosa videtur  
supellex. Videas parentes cum liberis , jumentis ,  
ac bestiis ad focum eodem in hypocausto fætido  
agere ,